

ob vera doctrina constantem confessionem combu-
stus, praedixit, inquiens: Assatis iam Huss, id est,
anserem, sed post annos centum, surget Labod,
id est, cygnus, qui canet, & à uobis non assabitur.
Hoc tempus est, quod Iohannes Hiltenius Isen-
nacensis in carcere à fratribus monachis fame ne-
catus, cum unam partem siue speciem, ut voca-
bant, cenæ dominicæ sumere nollet, nominatim
definiuit, inquiens, venturum esse, qui sit monacho-
rum idola euersurus, & cui repugnare non pos-
sint, & post hac triginta annis regnum Christia-
norum pacificum fore, id quod etiam ita accidit.
Hic annus est, quem, præ gaudio ridens & exi-
liens, monachus Doctor Fleck, cuius supra in
Academia Uuitebergensis introductione mentio
facta est, predicauit, conspectis & lectis proposi-
tionibus Lutheri contra Indulgentias, in Refecto-
rio, uti nominant, canoby Steinlausic prope oppi-
dum Buttersfeld, siue Picropædion, ut D. Sabinus
appellauit, cum alioqui silentium præstandum es-
set, exclamans: Iam iam is venit, qui monachos
vos, & sacrificos tractabit pro dignitate, & re-
formabit, utinam unum adhuc talem monachum
haberemus, ut Pontificis laudes decantaremus:
iam diu expectauimus redemptionem Israël ex
captiuitate Babylonica. Nullas missas celebrare
unquam voluit Fleccus, & ad Lutherum scribit,
monens, ut pedes suos urgeat, & intrepidus sit,
sibi enim semper displicuisse Pontificiam tyranni-
dem,

C

dem,